

NICOLAI HENELI  
ab Hennenfelda J Cti

MANES HOF-  
MANNIANI.

Inscriptio Honoraria.

TU QUI TRANSIS,  
SISTE PAULUM,  
VIATOR,  
ET QUOD TE VOLO, COGNOSCE.  
NULLUM TIBI DISPENDIUM TAN-  
TULÆ MORÆ IMPENDIO FIET.  
SITUS HEIC EST  
NOBILISS. MAGNIFICUS ET AMPLISS.  
**JOHANNES HOFMANNUS**  
AB HOFMANSWALDAW  
S. CÆS. M<sup>is</sup>. CONSILIARIUS, ATQUE  
IN CAMERA PER UTRAMQ. SILESIA REGIA  
SECRETARIUS.  
CUJUS  
ACRE ET LIMATUM JUDICIUM,  
EXCELLENTI ERUDITIONEM,  
JURIS EXIMIAM PERITIAM,  
SCIENTIAM HISTORIARUM,  
ELOQUENTER DICENDI FACULTATEM,  
SIVE VORSO VELLE, SIVE PROSO  
ORATIONIS GENERE,  
IN AGENDIS EXPEDIENDISQUE REBUS  
PRUDENTIAM, DEXTERITATEM  
AC SOLERTIAM,  
OBSERVANTIAM AC FIDEM  
IN AUGUSTISS. CÆSARES,  
IN PATRIAM CHARITATEM,  
IN VITA COMMUNI PRO CUJUSQUE LOCO  
HUMANITATEM BENIGNITATEMQUE,  
INGENUAM AC NUDAM PROBITATEM,  
CANDOREM

CANDOREM SINE FUGO,  
PIETATEM DENIQUE SINE AMBITIONE,  
NEMO POETARUM VEL ORATORUM  
SATIS DIGNE LAUDAVERIT.  
NISI ABUNDE LAUDATUS CENSERI DEBET,  
CUI NULLA LAUS SATIS ESSE POSSIT.  
VITÆ AC SENII SATUR INTRA GEMINUM  
ILLUM TERMINUM, QUEM MAXIMUS  
VATES AC LEGISLATORUM CORYPHÆUS  
ÆVO HUMANO PRÆSCRIPSIT,  
ANNO PUTA ÆTATIS INTER GAUDII DOLO-  
RUMQUE INNUMERABILES VICES ACTÆ,  
SEPTIMO ET SEPTUAGESIMO,  
RECUPERATÆ AUTEM GRATIÆ  
SUPRA MILLE SEXCENTOS  
SECUNDO AC QUINQUAGESIMO,  
IPSA NOCTE PRÆCEDENTE DIEM  
CHRISTI EXPIRANTIS,  
QUÆ ERAT QUARTA KALEND. APRIL.  
PLACIDE ET IPSE EXPIRANS, EX HAC NON-VITA  
AD VITAM VERE-VITALEM  
**DUCE ET AUSPICE CHRISTO,**  
PENETRAVIT;  
QUODQUE SYMBOLI LOCO USURPARE  
SOLITUS FUIT,  
**IPSE FACIET,**  
ID NUNC FACTUM AB IPSO  
SED ID IPSUM NONNISI BENE,  
HUMANA VERO CUNCTA NIHIL ESSE  
EXPERITUR.  
CUM TRES ORDINE CONJUGES HABUISSET,  
ANNAM NAGELIAM,

MARTHAM HOGELIAM,  
 MARIAM AB ARTZAT,  
 HAUT NISI EX PRIMA FILIUM RELIQUIT UNICUM,  
**CHRISTIANUM,**  
 REIPUB. WRATISL. PATRIÆ SENATOREM,  
 JAM NUNC ET SCHOLARCHAM SPECTATISS.  
 VIRTUTUM PATERNAR. HEREDEM.  
 COMPATRI SUO DILECTISSIMO,  
 AMICO ET FRATRI INCOMPARABILI,  
 PLURA MERITO, QUAM PIETAS  
 POSSIT MEA,  
 SALTIM, QUOD POTUI, MERITO AC  
 LUBENS DEDI,  
 ATQUE HOC  
 PUBLICVM GERMANÆ FIDEI  
 TESTAMEN,  
 ET AMICITIÆ PLVSQVAM FRATERNÆ,  
 NEC IN MORTE DESINENTIS  
 MONVMENTVM SEMPITERNVM  
 (TALE QVIDEM ESSE CVPIO)  
 POS.

**NICOLAUS HENELIUS**

AB HENNEFELDA, IN KURTWITZ, JC. SAC. CÆ-  
 SAREÆ MAJEST. NEC NON ILLVSTRISS. PRINCI-  
 PIS LIGNIC. CONSILIARIVS, DVCVS MON-  
 STERBERGICI PRO-CANCELL. INCLI-  
 TÆQVE REIPVB. WRATISL.  
 SYNDICVS.

2 Samuel, I, 26.

Magno in dolore sum, mi Frater Jonathan: svaviter in te  
 acquievi. &c.

CARMEN I.

CARMEN. I.

**H**OFMANNUS morbo tortus compluribus annis,  
 Viresq; expertus frangi sibi corporis omnes,  
 Officia ut consveta manusq; pedesq; negarent,  
 Nec pellem prater quicquam supereset & ossa,  
 Jam quasi depositus conclamatusq; jacebat,  
 Dissolvi pridem cupiens, lethumq; morantem.  
 Sape DEUM lachrymis precibusq; calentibus urgens.  
 Nec tamen ante mori, promptus licet atq; paratus,  
 Quam descripta illi prestò foret horula, quivvit.  
 Inter at hæc mirè placidus patiensq;: nec ipsi  
 Ut sancto multum concedere vellet Hiobo.  
 JOVA DEDIT mihi, JOVA TULIT, vox istius: IPSE,  
 Nostri at erat, FACIET: sic se solatus uterq;  
 Spe certà firmag; fide sua damna levavit:  
 Durag; quæ fuerant, fecit melior a ferendo.  
 Nunc postquam cursum, dederunt quem Fata, peregit,  
 Et satur annorum, & terras hominesq; perosus,  
 Quam benè & ex animi voto, quam sorte benignâ  
 Deficiens nascensq; sibi, Phænicis ad instar,  
 Cælicolas inter, medio sublimis Olympo,  
 In patriâ vivit superâ, quò tendimus omnes:  
 Querquera quò non se febris; non tussis anhele;  
 Vesica ac renum non calculus; arida tabes  
 Non pulmonis item; morbus non regius ille;  
 Non dirus manuum dolor, aut nodosa podagra;  
 Tormina non ventris; non exanthemata; labes  
 Non subitâ adfligens labentia membra ruinâ;  
 Passio non crucians, Iatris quæ colica dicta est;  
 Non apoplexia; infelix non gutta catarrhi:  
 Non olim vix nota lues scorbutica, seu quis  
 Stommocacen hanc seu scelotyrben dicere malit;

Non hypochondriacus longè terribilis angor;  
 Ischiacumve malum, quo non est acrius ullum;  
 Non quæ tela jacit funesta iratus Apollo;  
 Non morborum aliæ species, quacunq̃ quietem  
 Humanam, quoquo vocitentur nomine, turbant;  
 Non iidem fervente nimis vel sirius igne,  
 Vel rigidis hyemes auris; non serâ procella;  
 Non metus aut curæ anxifera, non bella tremenda;  
 Non ira aut inimicitia penetrare potissint.  
 Hæc, ô sancte Senex, tutâ in regione receptus,  
 Invidia à jaculis, odiisq̃ immunis amaris,  
 Insidiis cunctis procul, omnigenisq̃ periculis,  
 Exutus canos totus tristemq̃ senectam,  
 Sideribus totus mediis immisus & astris,  
 Divino totus perfusus lumine; totus  
 Ambrosiæ succo imbutus flagransq̃ liquore,  
 Ac lethi exortes æternos nactus honores,  
 Supremum Numen coram sine fine tueris:  
 Ac totus mundi Soterem amplecteris, olim  
 Semper adoratum, fixumq̃ in pectore, pro te  
 Nempe crucis fixum sublimi è robore JESUM:  
 Totus amas, sanctâ totusq̃ hunc voce celebras:  
 Totus oras, totusq̃ in secla perennia gaudes.  
 Felicem ô nimium, nec dignam hoc nomine mortem,  
 Quæ vana finis, vitæ sed origo beatæ est!

## CARMEN II.

**I**ndecor haut vixit qui seculo, aut lucis egenus,  
 Musarum & Phœbi gloria Juris honos,  
 Sedem habuere in quo Charites, Sapiëntia, Peitho,  
 Justitiæ ac sanctæ religionis amor,  
 Cæsaribus summis, aliisq̃ placere Dynastis  
 Qui meruit genii dexteritate sui:

Consiliis

Consiliis dandis, dum Fata Deusq̃ sinebant,  
 Tam bonus ille, datis quàm taciturnus erat.  
 Expers invidia, fastu procul, & procul astu,  
 Qui niveum ingenuâ mente ferebat ebur:  
 Omnibus ille æquus, simul officiosus in omnes,  
 Quàm nunc dormitet gratia prisca tamen,  
 Quamq̃ nihil seculo fiet hoc fecisse benignè,  
 Exemplo expertus satq̃ superq̃ suo.  
 Ille meos inter tot jam annis primus amicos,  
 Hæc illeic tellus patria quotquot habet.  
 Post fesos morbis annisq̃ prementibus artus,  
 Ipse etiam tandem lumine casus obit.  
 Quantum & quale tibi periit, Bresla inclita, lumen!  
 Surreptum hac morte est quàm mihi grande decus!  
 Fraterno hic me adeo semper complexus amore est,  
 Quem pro germano fratre vicissim habui:  
 Virtutis studium, & cultum miratus honesti,  
 Et mores priscos ac sine fraude fidem.  
 Mens animi una ambobus erat. Joca, serâ juxtim  
 Quàm volupe inter nos participare fuit!  
 Pectoris ille arcana sui mihi credere quibat:  
 Credere quibam illi pectoris ima mei.  
 Gaudebat mecum; mecumq̃ ex corde dolebat:  
 Prospera seu mihi fors, sive inimica foret.  
 Nunc at ubi ille abiit, migrare hinc gestio & ipse:  
 Atq̃ lubenti animo te, Philadelphæ, sequi.  
 Ut quos pura fides in terris junxit amicos,  
 In cælis pariter jungat amica quies.  
 Spes cerè veniendi ad te, sanctissime cæles,  
 Excessum illa tuum non sinit esse gravem.  
 Illa modum lachrymis & ponit frena dolori,  
 Ac meditari unum hoc, IRE MEMENTO, jubet.

Sic

Sic jubeat Deus, inveniet nos ille volentes,  
 Nec timidos omnis currere carnis iter.  
 Et quid? Me major fueras, nisi fallimur annis  
 Sex septemve: ævi quantulum at hoc spatium est?  
 Annorum nec tot tamen ipse mihi auguror augmen-  
 Præsentem incertus quid ferat hora sequens.  
 Certus contra, herere imâ mihi margine vitam,  
 Posse senemq; ultra nec superesse diu.  
 Quæ sit at hora meæ tandem, quæ formula mortis,  
 CHRISTI morte fides dum mea nixa, sat est.  
 Tunc ulnas pandes venienti ut latus amico,  
 Sic ruam in amplexus latus & ipse tuos.  
 Interea quo-me-usq; volent hęc Fata manere,  
 Exseret in functum sic se amor ante meus.  
 Ne quisquam immemorem Philii me fœderis olim  
 Arguat, aut munus deseruisse pium.  
 Tu desiderium dilecti agnosce sodalis,  
 Fraternaliq; fidem jam quoq; frater ama.  
 Sic SALVE ò FRATER! Si fas ita nempe precari:  
 SALVE HAVE, & eternum FRATER amande VALE!

### CARMEN III.

NOX, HOFMANNE, tibi fatalis, prævia lucis,  
 Quâ moriens posuit lumina JESUS, erat.  
 Quam benè! Vixisti CHRISTO qui deditus uni,  
 Cum CHRISTO expiras tu quoq; morte piâ.  
 Ceu Spolium at retulit superatâ morte resurgens  
 CHRISTUS HOMO CHRISTUS Q. (unus utrumq;) DEUS:  
 Tu quoq; sic superas surges redi vivus ad auras;  
 Nescius inde pati, nescius inde mori.  
 Quin Anima in summo jam nunc tua vivit Olympo,  
 In corpus cupiens mox remeare suum.

Tune

Tunc erit, ut postquam gravia hęc quàm plurima passus,  
 Pænosa [a] & verè est hebdomas acta tibi,  
 Æternum ac solidum cum CHRISTO Pascha celebres.

Membrum quis capiti disociasse velit?

(a) Vox parum forte an Latina: sed Latii tamen jure vel ob id donanda, quod BernharDO & aliis Patribus septimana illa, quæ præcedit festum Paschatos, Pænosa vocatur, pro ut nostris die Marterwoche. Allusum autem hęc ad svavissimos illos Casp. Dornavii τῆ παρασκευῆς versiculos:

Halt hier mit Christo Marterwoch!  
 Und nim geduldig auff sein Joch!  
 So wirstu droben Osterfreud  
 Mit ihm halten in Ewigkeit.

Quibus geminum germanum illud Drexelianum: Nunc Parasceve te fatigat; brevi sequetur Pascha nunquam finiendum.

### CARMEN IV.

HOFMANNUS moritur, vita atq; ævi sator, anno  
 Cum sexto ut ter sex vixit Olympiadas.  
 Sed quid ego ajo mori? qui jam super athere vivit,  
 Inter cælestes letus ovansq; choros.  
 Nec minus orbe super Fama quoque nomine vivit,  
 Major laude omni, major & invidiâ.  
 Vivit in unigenâ CHRISTIANO deniq; Nato,  
 Et nati natis, quiq; orientur ab his.  
 Non moritur, cæli qui compos, posthumo honore,  
 Inq; suâ longum posteritate viget.

### CARMEN V.

Phœnicem referunt post busta resumere vitam;  
 At tu vivus adhuc jam redi vivus eras.  
 Natus nempe tibi: propriis virtutibus ille  
 Contendens patriam continuare decus.  
 Et quem spectavisti aded, Respublica pridem  
 Nostra ut honorato jusserit esse loco.  
 Ofelix tanto Natus Genitore! vicissim  
 Ofelix Nato tam sapiente Pater!

B

A Patre

*A Patre vitæ traxit primordia Natus :  
Vivit in hoc ante & post sua fata Pater.*

### CARMEN VI.

**P**remia, pro meritis longè majora fuisti,  
*Quàm quæ virtuti sunt data, JANE, tua.*  
Obsecra hinc ingrata bonis & iniqua querentem,  
*Audiit, indoluit, sicq; ait Eusebie:*  
*Quæ non terra tibi vivo dedit, æthra rependet*  
*Defuncto: hæc merces grata laboris erit.*

### CARMEN VII.

**N**on ære aut cerâ, Pario non marmore, vultus  
*HOFMANNI ut singas valdè opus esse reor.*  
*Lucet in unigenâ effigies verissima Nato.*  
*Patrem adeò vultu juxtim animoq; refert.*

### CARMEN IIX.

**P**irithous nec non Theseus, Pylades & Orestes;  
*Scipio, Leliades; Nisus & Euryalus,*  
*Bis duo amicorum paria isthac esse putantur*  
*Eximia, historicis nobilitata libris.*  
*Quid sic cum (a) Pythiâ Damon; Patroclus Achilles;*  
*Atticus & Cicero; Plinius ac Tacitus*  
*Jungantur reliquis, ceu fas est jungere, non jam*  
*Bis duo tantum, octo sed paria efficies.*  
*Horum ast æquavit, si non & vicit, amorem,*  
*Certe uno potior nomine noster amor.*  
*Nempe quod illorum mors improba solvit amorem,*  
*Trajicit at noster littora mortis amor.*  
*Duraturus in æternum (sic credimus) ævum:*  
*Nos ubi stellati junxerit aula poli.*

[a] Sic habet vulgata lectio apud Ciceron. 3. de Offic. Wolfio quoq; minime improbata: quam vel ideo retinere malui, quod non aliter apud Valerium etiam Maxim. legatur. Etsi non sum nescius, Turnebo & Grutero pro Pythiâ legendum videri Pinthiam: sed conjecturis vix satis firmis.

### CARMEN IX.

**H**OFMANNUS dum carnis iter jam jussus adire est,  
*Ejus sub terras ivit imago simul.*  
*Nec minus hæc superest Nati sub imagine: Patrem*  
*Nempe vetat prolestam generosa mori.*  
*Fata dabant illudum in terris degere vitam,*  
*Delicium Patris Natus amorq; fuit.*  
*Jam saturo annorum, positq; in mortis agone,*  
*Nil quoq; cur super hoc afficeretur, erat.*  
*Quin imago quo gauderet erat: cui Filius esset*  
*Non modò jam bina progenitor subolis.*  
*Verùm etiam patriâ spectatus in Urbe Senator:*  
*Virtute haut dispar, sed nec honore Patri.*  
*Quis adeò patrios surgens gravis ultor in hostes,*  
*Sit generi columen presidiumq; suo.*  
*Ne dicam, Patri effecto quæ premia Natus*  
*Reddiderit, quantis juverit officiis.*  
*Quàm Patres juvet ingenuè formata juventus,*  
*Exemplum hæc alii, quo moveantur, habent.*

### CARMEN X.

**Q**uàm mundana nihil sint omnia cura laborq;  
*Ambitio, fastus, gaudia & illecebra:*  
*Divitiæ grandes, argenti copia & auri:*  
*Aularum splendor, Nobilitatis honor:*  
*Musarum ipsa adeò studia, & sapientia prudens:*  
*Nominis eximii gloria, fama, decus.*  
*Quàm nihil, aut nihilo st quid minus, omnia sint hæc;*  
*Nedum illa ut summi sint loco habenda Boni:*  
*Id satis ostendit constructis adibus olim*  
*Adscribi jussit quod tua cura NIHIL.*  
*Hoc NIHIL ergo nihil tua mens, HOFMANNE, morata*  
*Suspexit cælos, praterea q; nihil.*

Jamq; adeo voti compos, cœlisq; potita  
Haut NIHIL, haut ALI QUID forte, sed omnia habet.  
Omnibus Electis ubi nempe est OMNIA CHRISTUS:  
Quis mundanum ultra curet ametvè NIHIL?

## CARMEN XI.

Plectra ubi me scripsis fixurum pariete ab alto,  
Ne quis amicorum me metra porro roget.  
Excepi te, HOFMANNE, unum: ac tibi, ut ante, Kalendis  
Annorum auspiciis metrica vota dedi.  
Divino aſt apicem es votorum ubi munere nactus,  
Et vitam excepi Euthanafia tuam,  
Non Xenia & strenas ultra tibi mittere quibo,  
Proq; salute tuâ vota iterare pia.  
Qui cœlo positus jam nunc agis omnia ſoſpes,  
Omnia letus agis: omnia ſalvus agis.  
Unum quod queo, ſupremum pietatis amica,  
Et Fidei monimen hoc tibi pono mea.  
Sit gratum tibi, ſi mea adhuc modo carmina curas,  
Qui ſine ſine Deo carmina leta canis.  
Conſpergant alii tumulum violisq; roſisq;  
Diſpereunt viola quam citò quamq; roſe!  
Munus at hoc noſtrum multos durabit in annos:  
Certè ut tale foret mens ea noſtra fuit.

---

Breſlæ, Typis Baumannianis exſcripſit  
Gottfridus Gründer.